



## Universitätsbibliothek Paderborn

### M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii  
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae  
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

CCXC. Abdicans reductum ob furorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12889**

peteret, deposuerat. Hæc satis plena defensio esset, si qua ego divinatione colligere potuisssem, utique peritum si non reddidisse: decepit me quod ante fortius tulerat: neque enim hoc dico, redditum me fuisse, si peritum patrem scissem: optime partes amici custodisse, si non reddidisse.

## C C X C.

*Abdicans reductum ob furorem.*

Luxuriosus abdicatus, furere cœpit. Reductus à patre, sanatus, abdicitur.

## DECLAMATIO.

**S**I conscius mihi, judices, ullius culpæ essem, propter quam iterum abdicarer: scitis mihi non defuisse tacendi verecundiam. Sed facile fuit prius silentium: primum, quod sperabam fore exorabilem patrem: deinde, quod certum erat, propter quod abdicarer. Nunc intelligo in multas me mitti posse suspiciones, cum expellar ab optimo patre: nec mihi ullo modo poterat ignosci, si offendisse statim. Tota igitur actione hoc mihi objiciendum est: nihil me fecisse. Nec mihi, judices, in animo est excusare vitam priorem, nec ut me dicam nunquam dignum fuisse abdicatione: <sup>1</sup> sed ut me putem diu fuisse abdicatum, illa non narrabo, quam indulgens mihi ab ætate prima fuerit pater: quod fortasse etiam corruperit mores meos: <sup>2</sup> nec illud error adolescentiæ, nec ætatis natura. Luxuriosum putat fuisse: ego tamen insanus eram, & defendendus quidem, si contradixisse: sed perseveraturum patrem negabant propinqui: sic factum est, ut dolorem silentio premerem, qui clusus atque intra cogitationes receptus, abstulit mentem. Cæterum tamen ( si verum velimus loqui) mutus fuit. Quas hic ego patri gratias agam? re-

<sup>1</sup> Sed ut me putem diu fuisse abdicatum.] Forte: sed ut me probem tacuisse abdicatum. Ut vobis fides fiat causas habuisse illud meum prius silentium, quod modo appellavit. Gronovius.

<sup>2</sup> Nec illud error adolescentiæ.] Conicio: nec ille, errore adolescentiæ me, an ætatis natura, luxuriosum putarit fuisse. Ego tamen insanus eram, & defendendus que, si contradixisse. Idem.

duxit me non sentientem : adhibuit curam , laborem , miserum me ! sanatus sum. Sacra majorum , Deos penates non sentiens tenui : nemo gratulatus est amicorum : nunc expellor resipiscens. Felices qui possunt omni vita sua parentibus dicere , quid feci ? dicam tamen , quid postea feci ? si luxuria intolerabile malum , ignovisti . Ego ( inquit ) te , quoniam demens eras , reduxi : ubi estis , qui me putabatis infelicem ? Ego vero dementiae gratias ago : non quidem sollicitudinem patris sensi , sed nec abdicationem. Quid mihi cum tam veloci remedio ? pater optime , fallax ista velox medicina. Ego scio quos animi æstus intus feram. Crede , pater , jam aliquas similes rerum imagines video : redit igitur dementiae prior causa : quare mihi si non ad præsens tempus , ad futurum tamen rogandus es. Succurre qui soles.

## CCXCI.

*Adulter uxoris , qua cesserat fratri.*

Qui duos filios habebat , uni uxorem dedit : altero ægrotante , & di- centibus medicis animi esse languorem , intravit stricto gladio mi- natus se moriturum pater , nisi causam indicasset. Confesso amari à fratri uxorem , frater petente patre cessit : ille in adulterio cum priore marito deprehensam occidit : abdicatur.

## DECLAMATIO.

**I**ngressurus actionem , interrogo qualem patrem velis , gravem & severum , an facilem & ignoscentem ? non dubito quin adolescens vindicato modo matrimonio malit me severe agere. Talis igitur pater objicit , tibi , Quod in amorem incideris cuiusquam , non est istud nisi lascivientis animi. Jam si hæc quam adamasti , nupta est : tu alienam matronam aliter quam leges permittunt , aspexisti : adjiciamus huc fratris uxorem : Intelligo me , judices , sicut huic personæ sufficere non posse , itaque tacebo : dic , te sequor , paulo ante dicebas , Corrumperet fratris uxorem ausus est , istud incestum est. Sed forsitan dicet , Amavi